

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Türkische Texte mit französischer Übersetzung - Cod. St. Märgen 1**

**[Straßburg?], [um 1720]**

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-161021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-161021)



GRAMMATICÆ TURCICÆ  
PARS SEXTA  
DE SYNTAXI.

**M**ULTA jam ad Syntaxim pertinentia tradita sunt passim in Erymologia, ut de constructione duorum Substantivorum in oratione continuatorum, de usu temporum Verbi, de casu præpositionum: item Adjectivum indeclinatum debere præponi suo Substantivo, Verbum debere esse in fine, &c.

Multi tamen supersunt adhuc exponenda de ordine & modo constructionis, præsertim verò Arabicorum & Persicorum in Turcica locutione adhibitorum; hæc enim non sequuntur semper illas regulas antedictas, ut mox explicabitur, percurrendo omnia, quæ veniunt in usum.

## CAPUT PRIMUM

## De modo alloquendi aliquem.

**A**NTE omnia sciendum est, quòd in familiari maxime sermone soleant Turcæ (immò Arabes & Persæ) se invicem alloqui per secundam personam singularem, *سن sen*, tu, abique illis titulis, quibus nos tam insolenter utimur, *v. g. Vestra Dominatio, Illustritas, Magnificencia, Celsitudo, Serenitas, Majestas, &c.* Potest enim quisque vel ipsum Imperatorem Turcarum per *tu* compellere.

Attamen usus jam, ne dicam, abusus, obtinuit apud illos quoque, ut sæpe ad majores se loquantur per secundam personam pluralem *سز syz*, vos, ut *ایولر و خوشتر میسر ejüler ve hoştermişiz*, pro *ایوحو خوشتر میسن ejü hoşmişyn*, valestisne bene? pro valestis bene? Sic *بیور büjürün-*, pro *بیور büjür*, imperate, pro impera. *Commandate, compiacetevi*, ò *si compiacia V. S.* *نره یه واردکن nereje wardün-üz*, quòd ivistis, ubi fuistis? pro *واردکن wardün-*, ivisti, fuisti? *لطف ایکن lutf ejlen-*, facite gratiam, quæso, pro *لطف ایله lutf ejle*, fac gratiam. Non tamen hoc fit necessariò, ut apud nos, sed ad libitum, & vix apud Doctos & inter Atulicos.

Habent nihilominus etiam aliquas tertias personas titulares universales, *v. g. جنابکن genâbün-üz*, *q. Vestra Dominatio, Celsitudo, Majestas, &c.* (in rigore pars vestra, latus vestrum) quo quidem titulo nonnunquam utuntur etiam in colloquiis ad Majores, aut ad eos, quos honorare volunt, ac persæpe in Literis; Item *حضرتک hazretün-*, vel *حضرتکن hazretün-üz*, *Idem*, Dominatio, celsitudo, sanctitas vestra (proprie præsentia, conspectus vester) Hoc tamen non nisi à simplicioribus Turcis, aut à Christianis vel Judæis adhiberi audivi. At in scriptione, immò & locutione hic titulus in plurali *حضرتکلی hazretleri* addi solet nomini Dei, Principis viri, quem nominamus, *v. g. الله حضرتکلی allah hazretleri* (& rarius *حضرتکی hazreti*) *q. Deus ejus Majestas, quod nos diceremus Dominus Deus.* Sic *پادشاه حضرتکلی pādīshā hazretleri*, *q. Rex, Imperator, Sua Majestas, quod diceremus Serenissimus Rex.* Pari modo *پاشا حضرتکلی pāsā hazretleri*, *بک حضرتکلی beg hazretleri*, Celsissimus Princeps, *Balsā, &c. quasi diceret ipsius Celsitudo, Dominatio, Illustritas, &c.* aut quasi diceret Germanicè, *v. g. Der Keyser/ihre Majestätt / pro ihre Keyserliche Majestätt / quod Poloni planè habent, dicunt enim Krol Jego Mośc / Rex ejus Majestas, pro Sua Regia Majestas, adeoque hoc illis captu facilius erit, quàm Nostratibus.*

Et hîc statim notes velim, pluralem numerum adhiberi loco singularis tanquam nobiliorem ad honorandos eos, de quibus fit sermo; unde si de eximio aliquo viro fuerit sermo, in relatione plerumque adhibetur numerus pluralis, *e. g.* si locutus fueris de Re-

T

ge,